



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. I. Carthagine se impuros amores sectatum, & amarâ libidinum  
voluptate potitum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**

## LIBER III.

Confitetur se Carthagine in impuris amoribus volutatum; ibique ex Hortensio Ciceronis Sapientiae amorem hausisse, anno XIX aetatis; postea in Manichæorum hæresin incidisse. Denique Matris de sua conversione somnium, & Episcopi cuiusdam responsum recenset.

## C A P. I.

*Carthagine se impuros amores sectatum, & amara libidinum voluptate potitum.*

I. **V**eni Carthaginem, & circumstrepbat me undique a Sartago flagitiosorum amorum. Nondum amabam, & amari amabam: & secretiore indigentia, oderam me minus indigentem. Quarebam, quod amarem: amans amari, & oderam securitatem, & viam sine muscipulis. Quoniam fames mihi erat intus ab interiori cibo, te ipso Deus meus, & ea fame non esuriebam; sed eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium, non quia plenus eis eram, sed quo inanior, eo fastidiosior. Et ideo non bene valebat anima mea, & ulcerosa & projiciebat

se

## 66 S. AVR. AVGVST. CONFES.

se foras miserabiliter, scalpi avida contactu sensibilium. Sed si non haberent animam, non utique amarentur. Amare & amari dulce mihi erat magis, si etiam amantis corpore fruerer.

2. Venam igitur amicitiae coquinabam sordibus concupiscentia, candoremque ejus obnubilabam tartarea libidine: & tamen foedus atque inhonestus, elegans & urbanus esse gestiebam, abundantि vanitate. Rui etiam in amorem, quo cupiebam capi. Deus meus, misericordia mea, quanto felle mihi suavitatem illam, & quam bonus adspersisti! Quia & amatus sum, & perveni occulte ad vinculum fruendi, & colligabar latus ærumnosis nexibus: ut cæderer virgis ferreis ardentibus, zeli, & suspicionum, & timorum, & irarum, atque rixarum. Rapiabant me spectacula theatrica, plena imaginibus miseriarum mearum, & somitibus ignis mei.

## N O T A E.

- a *Sartago flagitiorum amorum*) ut in sartagine ferret ac stridet caro cum frigitur, ita in corde S. Aug. fervebat impurus amor.
  - b *Projiciebat se foras*) q. d. anima gratia Dei & delectationibus internis destituta, in creaturas extra se positas inordinate irruebat: ut earum sensibili dulcedine, velut scabiosus ungue, scalperetur. Vbi adverte S. D. familiarem esse hanc phrasin: *foras ire, egredi, foras se projicere*, cum loquitur de inordinato creaturarum amore; illæ enim foris sunt, regnum vero Dei, est justitia, gaudium & pax in Spiritu sancto, quæ intus sunt in animo nostro.
- Rom. 14.  
vers. 17.

V S V S.

## V S V S.

1. Docet S. Aug. suo exemplo juvenem vanitati, & sensibus obsequentem, divina vero fastidientem, non posse se continere à gravibus flagitiis. Quod illi itaque evenit, ut in libidines & scortationes rueret : hoc, prò dolor ! quotidie aliis, easdem ob causas , fieri videmus.
2. Ut olim ita & nunc miseranda est vanitas: eos urbanos & elegantes haberi , qui feminis colludere & corridere norunt. Reperiuntur qui indignantur filiis , eosque degeneres putant , si talia aversentur , maluntque spectare proterve procantes aut jocantes , quam virgineo rubore suffundi.
3. Agnosce divinam bonitatem, quæ felle aspergit fœdas voluptates, ut ab iis abstrahat : & mirare lascivorum stultitiam , qui in suis libidinibus ceduntur *virgis ferreis*, ut loquitur S. D. & multo plura patiuntur sub jugo mundi , quam paterneruntur sub jugo Christi.

## C A P. II.

*Se impuros amores spectaculis theatraicis fuisse, & infaustis amantium eventibus condoluisse, non vera misericordia.*

- I. **Q**uid est, quod homo ibi vult dole-re , cum spectat luctuosa atque tragica, quæ tamen pati ipse nollet ? Et tamen pati vult ex eis dolorem spectator , & dolor ipse est voluptas ejus. Quid est, nisi misericibilis insanía ? Nam eo magis eis movetur quisque , quo minus à talibus affectibus sanus est, quamquam , cum ipse patitur, miseria ; cum aliis compatitur, misericordia dicū solet. Sed qualis tandem misericordia, in rebus fictis & scenicis? Non enim ad subveniendum provocatur auditor, sed tantum ad do-